

AUGUSTINI GALMETI ⁽¹⁾
INDUOS LIBROS PARALIPOMENON
Prolegomenon.

Geminos Paralipomenon libros unâ contextû serie iungebant olim Hebræi; hodiè in Bibliis ad suum usum pro nostro more distinguunt, faciliè ne usum concordantiarum, quas à Latinis acceperunt, sibi interdiciant. Totum opus inscribunt דברי הימים *Verba dierum*, sive Annales, veteres illas ephemerides, scriptas in libris Regum laudatas, spectantes: *Nonne hæc scripta sunt in libro Verborum dierum?* Falluntur illi tamen, siquidem veteres illos Commentarios regum Juda et Israelis cum Paralipomenis miscendos censeant; sæpè enim Paralipomena ad eosdem Annales lectorem remittunt, quos fusiis historias retulisse, et alia plura, frustra in Paralipomenis quaerenda, continuisse constat. Nos Græco vocabulo Παράλιπόμενα, *Paralipomena*, appellamus, nempe *praetermissa*; est enim opus veluti supplementum cæteris Scripturæ libris adjectum, plura continens in aliis omissa. Sed, ut infra demonstrabimus, longè aliud fuit auctoris huius libri consilium, quàm ut cæteris S. Scripturæ libris supplementum scriberet.

Quis potissimum opus adornaverit, incertum. Sunt qui eidem auctori et hos et libros Regum tribuerint, cum et eosdem utrobique Annales laudet, et eosdem non rarò phrases retineat. Verùm quid unum eundemque auctorem induxit, ut eosdem utrobique historias, et iisdem sæpè verbis recitaret; ac vicissim in adscriptionibus temporum, in rerum circumstantiis, genealogiis, atque nominibus propriis variaret? Idemne scriptor negotium nobis facessere per idum voluisset, nostrum torquens ingenium, utpote quibus nulla superearet ratio cur ad eò in utroque opere variare maluisset? Cùm interim si duos auctores, ambos suo Marte scribentes, producamus, planum sit, cur alter fusiis, alter strictiis historiam referat; cur insuper alter alteram chronologiam pro variâ ducendorum annorum ratione sine errati suspitione sequatur.

(1) Vide Calmeti vitam, Scripturæ sacræ vol. 5, col. 1001.

Judei et interpretes nostrates scriptum ab Esdrâ librum arbitrantur, eum nimirum captivitate solutâ, dirigentibus Aggeo et Zachariâ, operi scribendo otium nactus est. Favet huic opinioni 1^o quòd unius auctoris opus esse, styli æqualitas, perpetua contextû serie, historiarum fusiis antea expositarum identidem subjecta complexionones, et apposita ad rem animâ versiones, satis demonstrant. 2^o Post captivitatem scriptum, arguit edictum Cyri de Judæis Hierosolymam, solutâ demum captivitate, remittendis; genealogia à Davide usque ad Zorobabelem, imò et ulterius deducta. Porrò Zorobabelem in Judæam venisse, post factam à Cyro redeundi copiam, quis nesciat? Meminit etiam primorum Hierosolymæ incolarum, imò et aliorum, solutâ captivitate. Prosequitur etiam auctor rerum Judæicarum labentium, sub postremis regibus Juda, historiam; universum Judam Josiæ fenus plorâsse dicit; quâ occasione scriptæ Jeremiæ lamentationes ore omnium cantorum et cantatricum, ait, versabantur. Jeremiæ autem templi eversionem, et populû captivitatem oculatus testis spectavit. 3^o Plures ibidem voces occurrunt, vel recentius quàm ante captivitatem invecitæ, vel saltem frustra in libris ante eandem captivitatem scriptis quaerendæ (3), cùm vicissim plura Esdræ peculiaris sive in vocibus, sive in syntaxi occurrant.

Hæc quidem pro Esdrâ; nunc verò quæ contra ipsam promamus. Prosequitur auctor genealogiam Zorobabelis ab eo usque ad duodecimam generationem: Zorobabel, Hanania, Phathias, Ieseias, Raphaia, Arnan, Obdia, Sêchenias, Semelias, Naaria, Elioenai, Odufa. Hæc sanè spatium ut minimum 300 annorum exigentia, satis demonstrant, operis auctorem multò quàm Zorobabelem, ipsamque ad eò Esdram, recentioreni fuisse; nisi scripto jam-

(2) כספיו, *crater*, 1 Esdr. 1. 10, et 8. 27, et 1 Paralip. 28. 17; אורבכאים, *drachma*, 1 Paralip. 28. 7, et 1 Esdr. 11. 69, et 2. Esdr. 7. 70; רבסיות, *rates*, 2 Paralip. 11. 16; ברדלס, *collectores*, 4 Reg. 22. 4.

judicium operi eandem genealogiam alterius manu adjectam maluerimus.

Hæc tamen faciliè reponere possumus, si mulque repugnantia omniâ conciliare. 1^o Quæcumque in medium adducta sunt ad evitandam sententiam, quâ libri Regum et Paralipomenon uni eidemque scriptori tribuuntur, statim evanescent, si quis statuat, Esdram ex pluribus, quos ad manus habebat, commentariis quædam in suo opere, ne mutata quidem verborum phrasi, inseruisse; nihil interim curantem repugnantia inter se conciliare, nihil repetitas historias, nihil unius ejusdemque rei narrationem modò fusiis, modò contractiis repetitam. 2^o Quæcumque adversus Esdram congeruntur, illa sanè propositum evincant, si opus, quale nos habemus, ab Esdrâ digestum constituatur. Nulla tamen sunt, si contra admittamus, post ejus viri obitum quædam alienâ manu operi accessisse, quod eo consilio fieri potuit, quo ipse pariter Esdras libris à se recensitis, relictis monumentis quædam è suo Marte censuit adicienda. Non est igitur, cur temerè ab eâ sententiâ recedamus, quæ unum eundemque Esdram utriusque operis, Regum et Paralipomenon, habet auctorem.

Porrò ejusdem libri scriptor non ætatis suæ historiam digessit, sed ab aliis jam memoriâ prodita in unam veluti summam colligebat. Post captivitatem vixisse, supra jam animadvertimus; locutum tamen, veluti si multò captivitatem ipsam præcessisset, statim adductis argumentis demonstrabimus. Commentariorum fidem, quorum ope utitur, vel ipsis eorum verbis adductis, observat; et quamquam aliqui etati quâ scribebat verba illa repugnant, maluit tamen singula exscribere, ut veritati potius quàm, aliquibus demptis, stylo serviret; vel ipsas interdum genealogias, parâm specie tenus inter se constantes, refert, quas ne conciliari quidem, imò neque monere eâ de re lectores audeat: quod illi quidem, extantibus adhuc veteribus monumentis, tam pronum fuisset, quàm nobis, post tot seculorum oblivionem et veterum monumentorum defectum, arduum est. Ubique verò sinceritatis, fidei et religionis ejus scriptoris illustria exhibentur documenta; historiæ suæ veritatem ex limpidissimis fontibus deductam illimem servat, ut nulla inde suspicio in illam creari jure meritoque possit. Ætate suâ adhuc in Sanctuario cum veticibus arcam servari, quemadmodum jam sub Salomone, narrat;

constat autem, post captivitatem arcam sive prorsus in templo non fuisse, sive aliter ac olim sub Salomone positam.

Narrat 1 Paralip. 4, 41, filios Simeonis, pulsos posteris Cham, eorum regionem occupasse, quam ad ætatem usque suam tenebant; et eodem loco refert expeditionem ejus tribus in Amalecitas, quam sub Ezechia susceptam scimus. Tum subdit, devictam olim regionem adhuc suâ ætate ab eâ tribu occupari, nempe antequam Salmanasar Simeonem unâ cum aliis tribubus in captivitatem traderet. Quamquam eâ in re dubia quædam occurrunt, à nobis in commentariis ad examen revocata. Deinde proximè succedenti capite de captivitate decem tribuum agitur, quam suâ usque ætate perseverare ideam auctor testatur. Cùm 2 Paralip. 8, 8, de subjectis à Salomone Chananiis, quibus Israelite pepercant, sermo est, ait idem scriptor: *Subjugavit illos Salomon in tributarios usque in diem hanc*. Stabat igitur ejus ætate regnum Juda. Tandem ibid. c. 21, v. 10, excusum memorat ab Idumæis Hebræorum fugum; nec illos, ait, usque ad hanc diem dominos agnoscent; quasi scilicet eâ ætate adhuc reges Juda regnum obtinerent. Igitur ex deductis hæcque satis intelligimus, scripsisse quidem auctorem post captivitatem, sed non rarò verba auctorum diu antea scriptentium in suum commentarium derivasse.

Potissimum verò ipsius propositum non eò spectat, ut supplementum cæterorum librorum sacræ Scripturæ tradat. Fusiè repetit historias antea descriptas; quin rara admodum nova recenset, et plura vicissim omittit, quorum aliqui cognitio maximi esset ad historiam sacræ momenti. 2^o Neque annales scribere meditabatur, quibus rerum gestarum historia unâ serie fusiis pariter et accuratius quàm in historiis præcedentibus, exhiberetur, adjecta insuper certiore temporum atque perpetuâ adscriptione. Nihil enim in toto opere apparet, quod auctoris in eâ re consilium demonstrat. 3^o Neque id præ oculis habuisse videtur, ut eo uno in opere cæteros historicos veteris Testamenti libros in epitomen complecti voluerit, cùm plorima sileat in Moysæ, Josue, Judicibus, et in libris Regum relata. Historiam suam propriè ex obitu Saulis deducit; plura enim, nec minoris sanè momenti, ad regnum Davidis spectantia omittit, uti illius cum Bethsabæe crimen, et quæ deinde secuta est, calamitatem; incestum Amnonis cum Thamarè, totamque Absalom historiam

Rarus apud illum sermo de gestis regum Israelis, cæterisque ad illud regnum pertinentibus; silentio enim obvolvitur totam ejus regni historiam post captum Amasiam regem Juda per Joas regem Israelis, 2 Paralip. 25, 17. Profectò, si libros Regum in epitomen redigere meditabatur, debuerat saltem non omittere postrema regum Israelis bella, quæ deinde captivitas decem tribuum consecuta est. 4^o Neque id voluisse auctor creditur, ut in primis operis capitibus accuratas aliquas genealogias deduceret: his genealogiam Juda describit, nempe capite 2 et 4, ubi per duos veluti ramos Phares et Sala eandem deducit. Quorsum hæc, si ad Davidem tantummodo pervenire volebat? Cur nomina urbium et locorum tribus Juda tam accuratè describit? Cur hanc genealogiam per duos ramos ad captivitatem usque non digerit? Semel etiam et iterum genealogiam Benjamin, sicut et Saulis, repetit, variam utroque; nihilque magis studuisse videtur in eâ re, quam ut sedem et sortem singulorum religiosè describeret.

Potissimum igitur auctoris consilium in eo positum credimus, ut sub ipsos legentium oculis exhiberet, qui olim ante captivitatem, ac deinde post eam solutam familiarum status fuerit, quæ hæreditas, ut scilicet jure postliminii singuli suis rebus restituerentur. Constitutum enim erat jam inde ab initio, ut singulæ tribus relatas haberent in tabulas agrorum publicas singularum domuum dimensiones, quarum fide annis sabbaticis et jubilei omnia veteribus dominis integrè assererentur, nec unquam in alienas manus familiæ bona transirent. Quare id potissimum curavit auctor, ut urbium et locorum nomina potius quam hominum exprimeret 4 Paralip. 2, 54. Quod verò potissimas auctoris curas occupabat, illud censendum est, nimirum ut munera, genealogias, familias, et ordines sacerdotum et Levitarum fusiùs describeret: res enim erat maximi post captivitatem momenti, ut singulis vetus ordo, priora munera, et avita hæreditas, juxta veterum tabularum normam, constarent, 2 Esdr. 12, 22, 23. Quæ proinde ad religionem, cultum Domini et templum pertinent, totum auctorem occupant. Maxima illi cura in describendis vasis domus Dei, principibusque indicandis, quorum auctoritate idololatria sive stetit, sive stare permissa est, iisque vicissim, quorum pietas veram religionem asseruit. Eam regulam secutus, laudes vituperationesque distribuit: de reliquis nihil attingit.

Quicumque tandem opus Paralipomenon digessit, huic plures commentarii, scripta et vetera monumenta suppetebant; quantò olim sedulitate et curâ prisci Hebræi reipublicæ suæ vetera monumenta servarent, documentum. Quâ pariter conjecturâ intelligimus, quantùm eorum historia cæteris præstaret, nisi tanta scriptorum lux in serâ tandem ætate occidisset. Laudantur sæpè in Paralipomenis libri *Juda et Israel*, quos commentarios credimus, vel ephemerides memoriæ rerum in republicâ sive religione gestarum conservandas. Scribebant autem eos commentarios non conducti mercede scriptores, qui decora tantum et gloriosa, quæque maximè principi placeant in annales referrent; plerumque enim id numeris agebant prophete, viri doctissimi aequè et sapientissimi, spectatè pietatis et fidei, qui nihil sive assentationi, sive quæstulidari unquam passi fuissent.

Sub Davide cæterisque deinde regibus Juda semper prophete annales de rebus gestis ætatis suæ conficere aggrediebantur. Regni Davidis historiam scriptis mandârunt Samuel, Nathan et Gad, 4 Paralip. 29, 29. Salomonis historia debetur prophetis Nathan, Gad, Addo et Ahie, 2 Paral. 9, 29. Addo pariter et Semias historiam Roboami dederunt, 2 Paral. 12, 15; à quibus primus etiam Abiæ historiam prosecutus est, 2 Paral. 15, 22. Hanani sub Asâ id munus exercebat, 2 Paral. 16, 7, ejusque filius Jehu, Josaphati et regum Judæe historiam dirigebat, id expressè tradente Scripturâ, 2 Paral. 20, 54: *Reliqua gestorum Josaphat scripta sunt in verbis Jehu filii Hanani, quæ digessit in libros regum Israel*. Sub eodem Josaphato agebant historicos prophete: Eliezer, 2 Paral. 20, 37, et Jahaziel, 2 Paral. 20, 14. Isaias res gestas sub Ozîâ primùm, 2 Paral. 26, 22, deinde sub Ezechîâ, 2 Paral. 32, 52, ad posteros transmisit. Idem publicis negotiis admotus est sub Achaz, cujus totam fermè historiam in libro oraculorum suorum scriptam reliquit, Isai. 7, 8, 9. Hozai commentarios sub Manasse scribebat, 2 Paral. 33, 19; et Jeremias sub Josîâ, ejusque filii, regum Juda postremis, Jerem. 17 et seq., ferè usque ad finem, et 2 Paral. 35, 25. En series prophetarum, historiarum et annales regni Juda scribentium.

Regnum Israelis, quanquàm aliqui schismate à verâ Ecclesiâ in regno Juda avulsam, non ita tamen Deum habuit adversarium, quin viros probos quamplures inter malos longè

plurimos servaret. Missi sæpè ad illud prophete, ut veros Israelitas ad officium revocarent; adeò ut cogitanti olim Eliæ, unum se prophetam Domini vivere in medio Israelis, Deus revelârît servasse se turbam septem millium hominum, qui fidem suam cultu Baalis non violassent, 3 Reg. 19, 18. Ahias Silonites sub Jeroboamo filio Nabab. 5 Reg. 11, 29, 14, 2, et Jehu filius Hanani sub Bassa paruit, 5 Reg. 16, 7. Elias aliique prophete permulti ad regnum Achabi pertinent; continuo prophete munere sub Eliseo et Jonâ, aliisque. Oled prophetam agebat sub Phacee, 2 Paral. 28, 9, in urbe Samariâ; quos omnes quantum nullo Scripturæ testimonio scripsisse temporum suorum historias novimus, verisimill tamen conjecturâ censemus, quemadmodum in regno Juda, ita etiam in regno Israelis id munus præstandum prophetis commissum fuisse. Præter eos annales à prophetis digestos, alii etiam suppetebant commentarii Sacerdotum sive scribarum aula regum Juda et Israelis. Hos viros appellabant à secretis, sive *maschirim*, ac si diceretur, à *libellis*, quorum potissimum munus erat, ut singulorum dierum eventus, qui majoris ad rempublicam momenti censerentur, in tabulas referrent. Memoratur sub Davide et Salomone, 2 Reg. 8, 16, et 1 Par. 18, 15, et 5 Reg. 4, 15, Josaphat filius Abilud à *commentariis*; idemque munus sub Ezechîâ præstitisse Joaben filium Asaph, 4 Reg. 18, 18; sub Josîâ Joham filium Joachaz, 2 Par. 54, 8, legimus.

Quanquàm regni Salomonici historiam fustore stylo prophete Nathan, Gad, Addo et Ahias digesserunt, eam tamen à publicis etiam scribis digestam fuisse scimus, quorum tabulas designari credimus, 5 Reg. 11, 41, *libro Verborum dierum Salomonis*. Idem servatum scimus in historiâ Josaphati, quam licet Jehu filius Hanani litteris consignaverit, laudantur tamen, tanquàm gesta sub eo rege continentes, annales regum Juda, 5 Reg. 22, 46. Tandem quo loco, 2 Par. 32, 32, scriptam legitimus ab Isaiâ Ezechîæ regis historiam, ibi pariter eadem historia ex Annalibus regum Juda laudatur. Historia rerum Manassis in Annalibus regum Juda, et in commentario Prophete Hozai scripta insinuat, 2 Par. 33, 18. Ibi etiam auctor laudat orationem ejusdem principis, cum arcto in carcere delineretur, quæ nostrâ ætate intercidit; eum altera in nostris Bibliis inserta apocryphi notâ rejicienda sit. En igitur duo commentariorum genera, quæ

auctori Paralipomenon suppetebant; aliud nempe à prophetis, aliud à publicis scribis adornatum, quorum operâ scripti erant memorati sæpè in Scripturâ Annales regum Juda et Israelis. Faciliè autem, ut credimus, regni Israelis annales post captivitatem decem tribuum in regnum Juda translati servabantur, quò scilicet plures è regno Israelis transfuga sese receperant.

Suppetebant etiam auctori Paralipomenon census variis temporibus in populo instituti; uti et scripta, quæ sub nomine *verborum veterum*, 1 Par. 4, 22, nempe veterum traditionum, laudat. Quatuor ex his censibus refert, nempe sub Davide, 1 Par. 7, 2, sub Jeroboamo, 1 Par. 5, 17, sub Joathano ibidem, et in captivitate decem tribuum, 1 Par. 9, 1. Innuat etiam, 1 Par. 27, 24, censum jussu Davidis operâ Joabi institutum, sed intercedente Domini furore intermissum. Præter hæc, ad manus erant tabulæ genealogicæ tribuum, et clarissimarum familiarum, quarum posterò describit.

Probè ex his intelligimus, quanto studio olim Judæi vetera historiarum suarum monumenta servarent; quam patrum suorum curam meritò esset Josephus, lib. 1 cont. Apion., ut scilicet effortem et sinceritatem historici generis suæ contra adversarios Judæici nominis efferat. Maximum, ait ille, argumentum historiciæ Judæorum veritatem demonstrans, illud est, nimirum inter varios illorum scriptores non varium iisdem de rebus testimonium; neque enim Græcis aliena scribentibus, eadem habenda est fides, quæ suas historias referentibus debetur, quod per se certum esse aperitissimè pariter demonstrat eorum inter se dissensus, dum alienas historias referunt. Ægyptiis et Babiloniis peculiare erant regionis suæ historie, fidei et vetustatis exploratissimæ; operâ sacerdotum et philosophorum ejusdem gentis digestæ. Quod verò, addit ille, historiam nostram supra cæteras omnes commendat, illud est, nimirum scribendis rerum nostrarum commentariis addictos esse viros amplexissimos, sacerdotes et prophetas, quorum studia et in scribendo fidem ipse scribendi stylus, narratio accurata, tum et inter varios scriptores consensus, satis demonstrant. Quæ omnia tantam iisdem scriptis apud nostros venerationem conciliant, ut tanquàm divina suspiciant, et addere illis aliquid sive detrudere ducant religionem. Porrò paucos illos, quos ejus generis habemus, libros tantâ veneratione et religione servamus, ut alienum

quid in textum irrepere vix ac ne vix quidem potuerit.

Laudat etiam ibidem summam sacerdotum curam servandi, sine adulterina mixtione, integras gentis suæ inviolatasque genealogias: quod non ita sacerdotibus Hebræis in Judæa tantum peculiare erat; sed eadem cura illos sive in Ægypto, sive Babylone constitutos sequebatur. Scrutatum enim mitebant Hierosolymis genealogias mulierum, si quando connubia miscere meditentur; et si quid sinistri Judæis contigisset, quo illi dispergerentur, summa tunc sacerdotis cura erat, ut veteres tabulas renovarent; et si quis contra legis præscriptum alienas feminas duxisset convinceretur, ille continuo è ministerio altaris et jure sacerdotii excedebat. Suffragatur huic Josephi auctoritati liber Esdræ, in quo post solutam captivitatem, amotos à sacerdotio legimus tam eos qui genealogias suas fide publicarum tabularum non præbissent, 1 Esdr. 2, 61, 62, quàm qui connubia cum aliis feminis miscuissent, 2 Esdr. 15, 28, 29. Is tantum vetera jura sacerdotum et Levitarum manebant, qui scripti erant in libro *Verborum dierum*, l. 2, c. 12, v. 22, 23. Ex Machabæis patet, l. 1, c. 16, v. 23, 24, intelligimus, res gestas summorum pontificum publicæ memoriæ mandari consuevisse, juxta illud: *Scripta sunt in libro dierum sacerdotii ejus*; quod tamen cum illis factum censeo, qui utrumque principatum et sacerdotii et reipublice tenebant. Ex hisce postremis commentariis Josephus gentis suæ post Machabæos historiam deduxit.

Quod spectat ad commentarios rerum sub singulis regibus gestarum, mos erat utilis ad eum et commendabilis, ut non apud solos Israelitas obtineret; paria enim servabantur apud Chaldaeos, Assyrios, Phœnicos, Ægyptios, Græcos et Romanos. Persarum sub Cyro et Dario annales laudantur in Esdrâ, 1 Esdr. 4, 15, et 6, 1, 2; eademque consuetudo sub Assuero legitur in Esther 10, 2. Commentarios rerum Alexandri Magni Plutarchus in ejus Vita laudat; Ægyptiorum Herodotus lib. 1, cap. 2, et Diodorus lib. 2, quemadmodum fragmenta quedam historicorum ejusdem gentis Josephus lib. 1 contra Appion. servavit. Tradit autem ille, de Manethone agens, omnia ejusdem viri è libris sacris Ægyptiorum deducta fuisse. Sacerdos quidam Ægyptius in Timæo Platonis morem in gente suâ obtinuisse testatur, ut res majoris momenti tam in Ægypto quàm alibi ubique gestas in annales referrent.

Berosus litteris mandavit historiam Chaldaeorum, sicuti Syrorum Nicolaus Damascenus, et Dio Phœnicum. Unde verò illis rerum gestarum monumenta, nisi ex annalibus ac tabulis earum gentium? Menander Ephesius suo fusiore commentario complexus erat historiam omnium, tum Græciæ, tum cæterarum gentium regum; consultis singularum regionum monumentis. Frequentes in nostris Bibliothecis occurrunt Græcorum historia. De Romanis ait Tacitus: « Ex dignitate populi Romani reperitur est, res illustres annalibus, talia (vulgaria) diturnis urbis actis mandare. »

Interpres leviori studio res Paralipomenon attulerunt, et falsâ persuasione ducti, pauca ibi narrari quæ in libris Regum non referantur. Fateamur tamen oportet, juxta S. Hieronymi testimonium in Epistolâ ad Domitium, neminem eruditionem Scripturarum in hoc libro contineri; et ut addit ille in Epistolâ ad Paulinum, sive in Prologo Galeato: « Paralipomenon liber, id est, Instrumenti veteris epitome, tantus ac talis est, ut absque illo et si quis scientiam Scripturarum sibi voluerit arrogare, se ipsum irrideat. » Tandem verisimè S. doctor adjevit: « In eo libro innumere fabiles Evangelii explicantur questiones (1). »

(1) Il faut cependant avouer que la multitude des noms propres qui remplissent les premiers chapitres, et l'obscurité de quelques endroits qu'on trouve dans les suivants, dégoûtent plusieurs personnes. Ainsi, il arrive que ces livres, dont saint Jérôme nous représente la lecture comme nécessaire pour l'intelligence des autres livres de l'Écriture, sont moins lus que tous les autres. Il est vrai que ceux qui ne cherchent que la simple édification dans les livres saints, peuvent se passer de lire dans les Paralipomènes ces chapitres qui ne contiennent que des noms, sans que leur foi ni leur piété en soient blessées. Mais il est bon néanmoins de révéler dans l'Écriture toutes ses parties; non seulement celles qui sont de morale, ou qui traitent des mystères et de l'histoire, mais celles même qui regardent la chronologie, la géographie et les généalogies. Car, dans un tableau, toutes choses contribuent à en former la beauté; et les ombres aussi bien que la lumière et les couleurs les plus vives y tiennent leur place, et servent à en faire le relief. On voit de même, comme le remarque saint Augustin, que dans un luth, ou dans un autre instrument de musique, il ne faut pas seulement regarder ses cordes, qui semblent seules former le son, mais encore toutes ses autres parties, dont les unes servent de soutien à ces mêmes cordes, d'autres à les bander fortement, d'autres à orner en apparence, et à produire en effet cette harmonie qui plaît à l'oreille.

Figurons nous donc, soit les généalogies, ou la chronologie des livres saints, comme ces

illis igitur rationibus ducti, solerter et pro viribus librum exponendum suscepimus, his tamen omissis, quæ antea in libris Regum in examen revocavimus. Primus liber historiae sanctæ per generationes ductæ, ab ortu mundi usque Davidis obitum, anno mundi 2990, summam complectitur. Alter historiam describit regum Juda, et partim etiam regni Israël, ab exordio Salomonis sine socio regnantis, anno 2990, usque ad solutam captivitatem, an. 5468.

Variantia quædam in nominibus, locisque designandis inter libros Regum et Paralipomenon occurrunt; sicuti etiam numerus quandoque annorum, census, et nomina virorum discrepant, unde contra librorum sacrorum auctoritatem sacrarum Scripturarum adversarii deducunt; quorum cavillationes si tandem evicerint, ut auctoritas horum librorum in dubium revocetur, quæ tandem erit satis explorata, et omni suspitione carens historia? Nihil enim magis spectatæ antiquitatis et fidei in historiâ uspiam occurrit, quàm quæ de expeditionibus Alexandri Magni posteritati commissa sunt; quot enim viri amplissimi, sapientia, fide et diligentia insignes, cœvæ scribentes, strenui illius duces decora scribere aggressi sunt? Eos tamen vel in censu copiarum ipsius, in subjectarum urbium dinumeratione, uti et in occisorum hostium summâ, devictarumque gentium et urbium nominibus nunquam convenisse constat. Quis tamen idcirco historiam ejus principis suspitionis arguere, vel in dubium revocare audeat?

parties d'un instrument de musique, qui paraissent moins considérables, mais sans lesquelles néanmoins l'harmonie ne pourrait s'entendre. Que si d'ailleurs on est convaincu que l'Esprit-Saint est l'auteur de l'Écriture, qu'il l'a lui-même dictée à ses écrivains sacrés, on ne peut rien négliger d'un ouvrage qui est paiement du Saint-Esprit. Mais ceux principalement qui se trouvent engagés dans une étude particulière des saints livres, ne doivent jamais oublier le jugement que nous avons vu que saint Jérôme portait des Paralipomènes, lui qui s'était appliqué avec tant de soin à acquérir l'intelligence des Écritures. Et ils ne peuvent s'imaginer être plus habiles que lui, pour se dispenser de bien lire et de bien entendre un livre qu'il a regardé comme la clé de tous les autres, à cause de ce grand nombre de noms propres qu'on y trouve, et qui sont très-nécessaires, selon lui, pour faire connaître parfaitement l'histoire sainte. (Sacy.)

Quamquam alia planè est historiae sacræ auctoritas. Sancti Spiritus ductu, eodemque suggerente, divini scriptores opus dictabant, neque tamen eodem Spiritu prohibebantur, quin et varia simul monumenta consulerent, atque historias scriptis mandandas eis illis veluti fontibus ita derivarent, ut singularum veluti sententias describerent. Varia ab illis in eodem opere relata testimonia non nisi specie tantum repugnant; multiplex enim singula conciliandi ratio suppetit. Adde, audacis esse nunquam ferenda, si quis de rebus longâ ætate remotis, exploratæ alioqui auctoritatis, judicium ferrè ex arduis hominibus occurrentibus præsumperit. An supra fidem est, libros tam longâ traditione atque seculorum successione ad nos transmissos, corruptionibus aliquid in adscriptionibus temporum et numerorum notulis contraxisse? Cùm de sacris Scripturis, rebusque ad religionem pertinentibus agitur, nihil illis indulgentum arbitrantur, cùm interim religio omnibus parcat. Levissima quæque pro licentiâ adstruenda argumenta, et quidquid tandem fuerit quo religioni invidia creetur, illud tanquam maximi momenti imbecilles animos terret, cum nullo solidissimo pro religione adducto argumento moveantur. Libros et historias faciliè omnes suscipiunt; cùm verò de sacris libris recipiendis agitur, res est argumentorum validissimorum armis evincenda; semper enim sese decipi velle arbitrantur (1).

(1) Prima decem capita nominis genealogias continent, quia in eis exacti erant Hebræi, tum ad duodecim tribuum distinctionem, tum propter Christum, ut constaret eum ex Abraham, Davide et tribu Judâ natum. Nota, nomina propria virorum et feminarum in hoc libro sæpè esse alia et diversa à nominibus quæ iisdem personis dantur in Genesi, cæterisque libris. Ratio est quòd Hebræi erant polyonymi, et plura habebant nomina. Exempli instar sit, quòd filii Benjamin Genes. cap. 46, vers. 21, nomenclatur *Bela, et Bechor, et Asbel, et Gera, et Naaman, et Echi, et Ros, et Mo-phim, et Ophim, et Ared*; hic vero c. 8, v. 1, nomenclatur *Bala, Asbel, Ahara, Nohaa, Rappa*, ac cæteri tacentur; quandoque etiam idem nomen aliter et aliter mutatione unius alteriusve litteræ inflectitur et pronuntiat. Rursus hic non omnes filii recensentur, sed magis celebres et clari. Multi ergo hæc decem capitibus recensentur. Sic cap. 7, vers. 6, tres tantum recenset filios Benjamin, cùm Genes. 46, 21, decem nomenclatur. (Corn. à Lap.)